

jam subjungit, fore ut Nebucadnezar bibat, & commoveatur, & uti ebrius in statu turbulento vivat. Porro dixerat Propheta in præcedenti versu, quod alios contemptui & ludibrio exposuerit; jam addit, quod etiam ipse contemptui & ludibrio exponendus sit.

*Vertet se super te calix dexteræ Domini.* Hebr. תסוב יהוה על ימין כוס עריך *circumdabit super te calix dexteræ Domini.* Sed סבב etiam est *convertit se, gyrauit, in circulo progressus est.* Jos. VI, 2. וסבתם & *circumibitis urbem,* & v. 10. ויסב & *circuivit arca Domini urbem.* Calix Domini circumit, ut modo hic modo iste populus ex eo bibat, tandem *convertet se ad te.* LXX. ἐκύκλωσεν, *circumdedit te calix dexteræ Domini.* Chald. יסתחר, *revertetur, circumferetur super te.*

*Calix dexteræ Domini, id est calix, quem miscuit dextera Domini, vel calix calamitatum, quem præparavit dextera Domini.* Metaphora desumitur ab ebrietate, qui alicui vinum calidum exhibet, in tanta copia ut ebrius fiat, ille conjicit hominem in statum turbulentum, & ignominiosum. Hinc DEUS, cum homines in talem statum ignominia conjicit, dicitur propinare calicem. Conf. annot. ad v. præced. LXX. vertunt: ποθηριον δεξιᾶς νογῖα *dextera Domini.* Chald. *calix maledictionis a Domino, expriment sensum, non voces.* Respexit noster Propheta ad calicem Babyloniam, de qua vaticinatus est Jerem. cap. LI. 7. *Calix aureus Babyloniam est in manu Domini inebrians universam terram, de vino ejus bibent omnes gentes, propterea insanient gentes. Subito cecidit Babel, & contrita est, ululate super eam & c.* De eodem calice Babyloniam vaticinatur Jes. Cap. LI. 22. 23. quod a Judæis transiturus sit ad Chaldæos, sic inquam: *Ecce tuli ex manu mea calicem התרעלה perturbationis, feces calicis vini calidi mei, non ulterius bibes eum, sed ponam eum in manum populantium te (Chaldæorum) qui dixerunt ad te, bibe & transibimus*

*sibimus*